

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 4 *



I.
II.
III.
IV.

Paraphrasis Psalmi LXXXII M. Zachariae Wennemezeri
Psalmi Davidici 121. 91. 125. 124. Gregorij Bersmanni.

Oratio de Christo recens nato Joachimi Flemingi.

Lessius Casareus Cyriaci Herdesiani sup obitum Rudolphi Imperatoris.

V. Soteria Dn. Johanni Georgio Saxonum Duci Academiae Wittebergensis.

VI. Votivus applausus Dn. Ab: Principi Anhaltino administrationem principatus Cisalbinii suscipienti Frederici Theodori Gorlicio.

VII. Theophrastus Epigram ad Dn. Augustum Principem Anhaltinum Homagii causa Ser- vestan ierebrum M. Petri a Jera.

X. Epithalamium Marci Frederici Wendelii ad Dn. Augustum Ducem Brunovicensem.

II. Epithalamium ad eundem principem Jani Cremeri.

Ecolza Gregorij Bersmanni Rudolpho Princi pi Anhaltino sponte scripta.

XI. Theophrastus Dn. Rudolpho Princ: Anhal- tino scripta a Collegis Scholae Servestane.

XII. Epicedium in obitum Dn. Rudolphi Princ: An- haltini Abrahami Cremeri.

XIII. Strena Poetica Christophori Heroldi.

XIV. Querele Saravictoris et Biomea.

XV. Gregorij Bersmanni in pontem sablicium Desuäensem Carmen Epigrammaticum.

XVI. Joachimi Flemingi Piculum Scholasticum.

XVII. Abrahami Vbici Diagrapha Laboris Scholastici.

XVIII. Coronis Collegio Disputatorio et Oratorio imposita.

XIX. Typus Depositionis Scholasticae Fri- derici Widebrani.

X. Bulla et amuletum M. Bloey.

CI. Oda honoribus Dn. Danielis Burchardi Dn. Johannis Christophori Hartmanni. Dn.

Philippi Neudligeri. Dn. Matthaei Coleri Doctorum scripta.

XXII. Gratiarum Actio M. Johannis Copperij post Magistrum autum pronuntiata.

XXIII. Epigrammaticum Cerevisiae Servestane Danielis Berckringeri.

XXIV. Desortatio a Calumnijis

XXV. Germania ad Principes epistola Abt: Martino Pratorio.

XXVI. Votum Scholae Vesaliensis.

XXVII. Theophrastus ad Dn. Johannem Sturnium.

XXVIII. In honorem Magistrum Dn. Johannis Cremeri.

XXIX. Trizinta Javerum M. Christiani Galli Galo-Saxonis.

XXX. Adamus Forweroy Frederici Stres- nis Ernesti Wulstorfij.

XXXI. Eorundem

XXXII. Juvenum 37. M. Theophrasti Carisseri.

XXXIII. Johannis Cremeri.

XXXIV. In honorem Notarii Valenti- ni Gelani.

XXXV. Strena anagrammaticum quadrifida Christophori Heroldi.

XXXVI. In nuptias Dn. Wolfgangi Amlingi A. V. D.

XXXVII. Ejusdem Johannis Amlingi et Nicolai May.

Ec. 15

XIII. Nuptijs Wolzangi à Bergen.

XIX.

Valerij Rudingeri

Martini Coppen: Med. D.

Abrahami Vietzhaleri

Henningi Grosy Junioris.

Johannis Seborij.

M. Johannis Coppenij.

Valentini Gelani.

Federici Hanelij.

Jeremie Vden.

Andreae Josel.

Johannis KiseWitteri.

M. Georgij Theodori.

Georgij Burckardi.

Dn. M. Theophili Boseni.

Johannis Bergij S. S. Theologie D.

Michaelis Thoma. J. V. D.

Johannis Bünemanni.

Christiani Augusti Charij.

Dn. Johannis Bergij S. S. Theologie D.

Ejusdem Theologie D.

M. Jacobi Martini.

Georgij von Drogen.

Dn. Peteri von Drogen.

Dn. Christiani Spizelij.

M. Simonis Daligon.

Dn. Federici Graubij.

Dn. Johannis Fleinmann.

Davidis Federici

Johannis Sebröteri.

M. Georgij Endeelingij

Barbarie Riemseneider.

Johannis Mütij

Ejusdem

M. Christophori Metelb:

Ejusdem.

LXX. Nuptijs

LXXV.

LXXVI.

LXXVII.

LXXVIII.

LXXIX.

LXXX.

LXXXI.

LXXXII.

LXXXIII.

LXXXIV.

LXXXV.

LXXXVI.

LXXXVII.

LXXXVIII.

LXXXIX.

XC.

XC I.

XC II.

XC III.

XC IV.

XC V.

XC VI.

XC VII.

XC VIII.

XC IX.

XCI.

XCII.

XCIII.

XCIV.

XC V.

XC VI.

XC VII.

XC VIII.

XC IX.

XCI.

XCII.

XCIII.

XCIV.

XC V.

XC VI.

XC VII.

XC VIII.

XC IX.

XCI.

XCII.

XCIII.

XCIV.

XC V.

XC VI.

XC VII.

XC VIII.

XC IX.

XCI.

XCII.

XCIII.

XCIV.

XC V.

XC VI.

XC VII.

XC VIII.

XC IX.

XCI.

XCII.

XCIII.

Ejusdem

Ejusdem

Dn. Ottonis von Dorn.

M. Ernesti Wulstorpij

Andreae Winsij

Hymeneus in laudem Dn. M. D.

Sti Wulstorpij.

Dn. Henrici de Böstell.

Federici Graf von

Barbaria Fingerlingij.

Dn. Ambrosij Lepij.

Martini Milazij.

Conradi Gersoldi.

Dn. Johannis Dorn.

M. Felicio Haüstadij.

Abrahami Cremeri.

Defensio Johannis Crame

J. V. D.

In obitum Christophori Wazeri

Conjizis M. Henrici

Kitosij.

Dn. Valerij Rager.

EX LIBRIS

ILLVSTRISSIMI VIRI;

DN. DAN. LVDOLPHI


LIB. BAR. de DANCKELMANN;


S. REG. MAL. BORVSS. CONSILIARII

STATVS INTIMI, cetera;

BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ

TESTAMENTO RELICTIS.





¹⁴
PONS SVBLICIVS
ANHALDINVS.

IN PONTEM SV-
BLICIVM ALBI ET
MILDÆ AGGERE JVN-
ctis, ac confluentibus, nouo & admira-
bili opere prope Roslauium arcem
antiquiss. impositum,

curante

ILLVSTRISS. ET
GENEROSISS. PR. AC
DN. DN. IOACHIMO ERNESTO
Pr. Anhaltino, Comite Ascaniæ, Do-
mino Seruestæ & Bern-
burgi &c.

CARMEN ἑγκωμιστικόν.

Scriptum a

GREGORIO BERSMANO ANNÆ-
bergensi, illustr. gymnasij Seruestani
Rectore.

SERVESTÆ

Bonaventura Faber excudebat,

Anno

M. D. LXXVIII.

LECTORI BENEVOLO S.

IN publicorum ædificiorum curatione, cui in bene constitutis Rebuspub. semper præfuerunt aliqui dignitate, auctoritate, & prudentia ceteris antecellentes, non postremam Senatus diligentiam adhibuit in sternendis vijs, & pontibus faciendis: neque immeritò. Vix enim ex ædificijs vllum est, ad vsus non modò ciuium & incolarum, sed etiam peregrinorum & aduenarum accommodatius, magisq; necessarium. Itaque vt, omisis alijs, de Romana duntaxat repub. mentionem faciam, in ea viarum curandarum munus Censoribus à senatu demandatum fuisse, literis proditum accepimus: quibus Augustus Cæsar viarum curatores addidit, hoc nomine insignes, cum ijdem etiam I Viri viarum tuendarum, honoris causa nominarentur. Pontium autem curationis partes ex S. C. penes Curatores aluei & riparum Tiberis fuisse traditur: sed ex auctoritate Imp. pontium Tiberis curatio primùm Pontificibus incubuit, qui Sublicium auguratò condiderunt, à quo ponte, nomen illis inditum esse, sunt qui existiment: deinde verò Censoribus, itemq; viarum curatoribus prouincia hæc data est. Tandem Imperatores ipsos, vt his veluti monumentis consecrarent memoriam nominis sui, atq; immortalitati commendarent, non modò administrationis vtriusque munus suscepisse, sed de suo quoque nomine vias & pontes extruxisse constat. Vnde enim appellatio viæ Domitianæ in Campania, quam Statius Pipinius luculento carmine celebravit: vnde Aelij pontis in vrbe, qui nunc pons castelli & pons S. Angeli perhibetur, nomenclatio extitit, nisi ab auctoribus Domitiano & Aelio Hadriano Cæsaribus? Mitto complures cum vias, tum pontes ab alijs factos, ex quibus aliquorum sola nomina posteritas conseruauit, aliquorum etiam vestigia, intra & extra urbem, cum sempiterna auctorum suorum commemoratione, in hunc vsque diem est videre. Quæ cum ita sint, quis prædicatione dignam non existimet Illustrissimi & generosissimi Principis ac Domini, Dn. Ioachimi Ernesti, patris patriæ, magnificentiam, quòd post arcis Dessauiensis exadifi-

exædificationem splendidam atq; præclaram, cogitationem curamq;
suscepit de extruendo ponte, aggereq; educendo, quo Albim & Mil-
dam fluuios conterminos, nec longè dehinc confluentes coniunge-
ret. Neque verò, qua est optimus princeps in honesto proposito
sententiæ perseuerantia, prius acquieuit, quàm prudenter secum de-
liberata maturè effecta daret, opere, quod cernitur, non minus utili
quàm necessario. In quo si nihil aliud spectes, quàm vsum publicum,
qui ex illo redundat non modò ad Anhaltinæ ditioni subiectos, sed
ad vniuersos & singulos, quibus per hæc loca iter faciendum est, fa-
tis in illo quidem causæ fuerit ad fabricæ ipsius commendationem.
Qui enim exploratâ habent viæ in vtraq; ripa difficultatem, cum pro-
pter fluuij vtriusq; crebram inundationem, tum glaciei incommodi-
tatem, quæ viatoribus sæpenumero non solùm impedimento fuit,
sed maximum etiam fortunarum atq; adeò vitæ ipsius damnum de-
dit: ij valde mihi assentientur, plus in pontis huius & aggeris stru-
ctura esse utilis necessitatis, atq; vtilitatis necessariæ, quàm vel in pon-
te, quem Helleponto Xerxes olim imposuit, vt determinatas freto
intermedio orbis terrarum partes, Asiam & Europam, coniungeret:
vel in perfossione Atho montis, quem idem continenti abscidisse,
velisq; fecisse peruiû narratur, ostentatione quadam copiarum ina-
ni, atq; insolentia animi ἀπάντα φρονούντος, contra Epicharmi præ-
ceptum. Sed sunt in fabrica illa complura alia memorabilia, atq; ad-
miratione non indigna. Nam & ædificationis descriptio ad vsum
accomodata, cum ipsa operis serie atq; artificij pulcritudine specta-
bilis est, tum firmitudine sua prorsus mirifica. Cum enim tota ma-
china fornicibus sit disclusa nouem, ac pilis sustentata totidem, (lo-
quor nunc de Albino ponte, cuius præcipuè fabrica admirabilis est)
suis pilæ singulæ *περβολαῖς* ac propugnaculis, sublicis in flumine al-
tè defixis, atq; ab imo præacutis, ferroq; prætextis, ac fistucarum pon-
dere adactis, trabiumq; commissura ac tignorum iunctura firmatis,
arctèq; aduersus vim omnem atq; impetum fluminis, ac glaciei incur-
sum illigatis, munitæ sunt, atq; ita reuinctæ, vt his quasi defensorib. o-
mnem impressionem facillè sustenturæ videantur. Et verò est in me-

dio ponte, tabulatis atq; trabibus contexto atque constrato, accurata
contemplatione dignum pontis versatilis claustrum, ita facti, vt na-
uium malis subeuntibus non magno labore transitum aperiat. Sed
quis vniuersum fabricæ tam solertis artificium breuiter dictis conse-
quatur? De qua pænè silentio præterieram, quod fide propè maius
est, totam hanc structuram, omni opere effecto, absolutam esse intra
spatium mensium nouem, faciente sumtus, operasq; curante muni-
ficentia principis, vt neq; pecuniæ impensa aliqua, neq; laboris vica-
rij onere subditi aggrauarentur, singulari quodam exemplo modera-
tionis, atq; innocentia. De qua plus hoc loco verborum fieri non
est necesse. Ad ipsius autem operis, & necessitate atq; vsu suo præ-
stabilis, & artificio incredibili commemorabilis, non tam descriptio-
nem, quam argumenti difficultas negabat, quàm adumbrationem, si-
ue informationem qualemcunque, me impulit (dicam enim quod res
est) frequens cohortatio collegarum meorum: quorum auctoritas,
propter veram pietatem, eximiam eruditionem, summamq; huma-
nitatem, studiumq; indefessum in propugnando doctrinam Ecclesiæ
orthodoxam, atq; asserendo fidem & confessionem Catholicam,
quam (vt Vigilij verbis vtar) Apostoli tradiderunt, Martyres robo-
rauerunt, & fideles nunc vsq; custodiunt, apud me tantum potuit, vt
in aggressione operæ huius nequaquam viribus meis æqualis, quàm profe-
cto non tam perficiendi spe, quàm experiendi voluntate, petitioni ami-
corum obsecutus suscepi, maluerim desiderari à nonnullis pruden-
tiam meam, quàm ab ijs meam requiri beneuolentiam. Accedebat ad
illorum incitationem, quod iam dudum animo meo versaram, studi-
um significationis animi memoris & grati declarandæ Illustrissimo &
clementissimo principi, pro hospitio liberalissimo, quo Musas meas,
quas aliorum inuidia & odij maleuolentia ferre non potuit, beni-
gnissimè acceperat. In qua nunquam satis prædicandæ erga me pe-
grinum atq; ignotum humanitatis & clementia consideratione,
audius arripui occasionem tam præclaram argumenti huius, cuius
tractatione omnino me operæ precium facturum putabam. Etsi au-
tem, secundum Oratij præceptionem, meo me modulo ac pede me-
tens

tiens perspiciebam, quàm minimè par essem fabricæ tam magnificæ
elogio, cuius in hoc genere neq; similè ætas videt nostra, neq; veterù,
quod ego sciam, monumenta memorant vllam: tamen, cum me non
fugeret, in honestis & arduis conatibus, vel voluntatem solam in lau-
de poni industriæ, persuasum habui, contentionem hanc subiectissi-
mi officij non improbatum iri illustrissimæ excelsitati, quantumuis
facultatem obscurasset materia numeris parum idonea. Itaque non
tam quid præstiterim, quàm quid voluerim æstimans, lector bene-
uole & candide, non versuum meorum tenuitate, sed conatus in hanc
partem affectione studiosa, metieris fabricæ, quam laudare animus tu-
lit, præstantiam. Non enim diffiteor, quod res est, me non esse lau-
dando huic operi, multò minus prædicando auctori ipsius Illustrissi-
mo principi: quippe non attingentem mediocri ingenij facultate il-
lius excellentiam, nequaquam verò satisfaciendam ornamentis an-
tiquis, & laudatis. domus Anhaltinæ, aut magnitudini merito-
rum excelsitatis huius, laude omni maiorum. Tantum habest, vt va-
nitatis atq; adulationis crimen mihi metuam à laudatione immodica,
atq; veritati non consentanea. Nam vt de opere ipso nihil amplius
dicam, de quo silere melius erat, quàm parum dicere: equidem anim-
aduerto, quàm longo interuallo absim à digno virtutibus eius prin-
cipis præconio, cuius & pietas est egregia, & constantia in defen-
denda veritate cœlesti, ac propaganda Augustana cōfessione à maio-
rib. accepta, multis attentationū periculis hæctenu sclaruit: vt præter-
eam nobilitatis, sapientiæ, iustitiæ, moderationis, clementiæ, libera-
litas insignia, multorum scriptis & sermonibus celebrata.

Quamobrem cum, secundum prouerbij vulgaris dictum, no-

ctuis vtendum sit in aucupio, quando accipitres desunt;

interim poëmatij istius tenuiculus apparatus boni

æquiq; fiet, donec vel opus ipsum, vel au-

ctor eius, præconem inueniat magis

me idoneum &

parem.

A 3

PONS

PONS SVBLICIVS
ANHALDINVS.

Ntermissa diu renouat mihi carmina mi-
rum (men

Pontis opus: desueta pati precordia nu-
Spiritus intus agit, mentemq; cupidine versat
Ardentem auctoris laudes memorare Camœna,
Auctoris memorandi operis. date plectra canentj
Ad mea non surda cum Phœbo vota sorores.

Est inter celebres Albino nomine ripas
Arx vetus, Ascania procerum gratissima sedes:
Cui nomen fluius piscoso nobilis amne
Imposuit: fluuiio fecerunt pascua nomen
Cornipedum fecunda gregi: lato equore campus,
Et Cererj dilectus ager, gratusq; Lyæo.

Sylua nemus vicina facit, quod inumbrat utrinq;
Arboris obtentu frondosæ fluminis oras:

Hinc oras pater Albi tuas, hinc agmina Mildæ,
Dessauij leni lambentis mœnia lapsu.

Quà nuper dubias fluctu indignante carinas
Vix passus, pontem (mirabile) cernitur Albis
Dorso ferre suo: pedibus nunc peruius, olim
Qui raptare solum, syluasq; rotare solebat.

Dic mihi Calliope, sua quis sub iura coëgit
Voluere

*Voluere flumen aquas, importunumq₃, minaxq₃?
Quis regnatorem fluviorum compulit Albim,
Seruitium tolerare, viros & plaustra gerentem?
Imperij, IOACHIME, tui hac, ERNESTE, potestas,
Qui tumidas pontem indignati fluminis iras
Compescis: rabiemq₃ domas, & murmura placas:
Cum socioq₃ tuis parentem legibus amne,
Suppositum præbere iubes ad pondera dorsum.*

*Nuper enim cœptum urgenti transmittere cursum,
Aut, ripis effusus, iter claudebat iniquum
Annis, inundanti contorquens vortice sylvas:
Aut axem lento tardabat puluere tellus,
Vix sese iumento oneris sub mole ferente.
Non tulit hac animo clementia principis æquo:
Sed miserata graues hominum pecorumq₃ labores,
Protinus undarumq₃ moras, ac putris arena
Lentorem, terra suggestu, & ponte leuauit
Sublicio, qualem non ætas viderit ulla.
Ergo lassato, via, qua temone terebat
Aurigaq₃ diem, modo qua carpebat euntem,
Quadrantis, miranda fides, vix unius horæ est,
Expediens cursu peditesq₃ rotasq₃ citato.*

*O quanta coiëre manus: denso agmine syluam
Itur in umbrosam: nudantur lustra ferarum:
Procumbit multis incidua quercus ab annis,*

Sternitur

Sternitur & pinus, gemit icta securibus arbor.
Hi cadunt nemus: hi casam deuoluere ripa
Materiam certant: numero quæ plurima, prona
Fertur aqua, ratibusq; secundo defluit Albj.
Hos aptare trabes, & robore tigna parare:
Hos tigna aspicias præfigere tegmine ferri,
Et ferro munire trabes: quas artat utrinque
Fibula, ferratoq; ligant firmamine clauj.
Pars vèctes rotat, & rostrum trochleasq; fatigat:
Pars adigit fundo fistucæ pondere lignum,
Fulmineo sublicas pellentis jugiter ictu.
Præcipuus quoniam labor est immergere pontis
Fundamenta solo, & munimina figere, duras
Propulsura niues, vimq; auersura ruentem
Deucalionei liquefactis nubibus imbris.

Feruet opus, non segni operis Niurone magistro
Bernardo, Petroq; boat nemus, vnda remugit
Clamantum sonitu, vibrantumq; arma fragore.
Non ipsa horrificis tantum tonat Ætna cauernis,
Turbine quum piceam prouoluit ad athera nubem,
Eructatq; globos flammaram, & saxa, sub auras:
Nec tanti resonant ruptis incudibus ictus,
In numerum quoties attollunt brachia fratres,
Ferrum excercentes Liparæ Cyclopes in antris.
Tot Sesto potuere manus adiungere Abydon,

Perq;

Perq̄ mare, innocuum Leandro sternere callem:
Tot possent & Athon solidis abiungere terris,
Et remis dare verrendum, & præbere carinis.
Subter anhelat humus grauida gestamine molis
Inter aquas, aretq̄ siti correpta sub undis.

Ipse operis tanti mirator sustulit imo
Albis in amne caput, redimitus tempora quercu.
Sublimem inq̄ tuens molem, & tabulata viarum
Fornicibus disclusa nouem, firmataq̄ cunctam
Obice quaq̄ suo vim contra undaq̄ hyemisq̄,
Et pilis alte suffixa, reuinctaq̄ iuncto

Agmine transtrorum, atq̄ eterno robore ferrj:
Totq̄ inter miranda operis versatile cernens
In medio claustrum, quod panderet ostia malo,
Velorumq̄ alis: furijs accensus & ira,

Mortales qua tanta, inquit, fiducia fastus
In regnis iubet imperium sibi sumere nostris?
Terreni terras habitent: mihi debita fatis
Undarum rectori, undarum sceptrarelinquant.

Ocyus ite amnes, viresq̄ effundite vestras:
Impete deiectas animoso impellite turres,
Vertite tigna, trabes confringite, soluite ferrum.

Sic ait: at dictis mulcens hunc, talibus infit

Milda pater, glauca velatus arundine frontem.

Quanquam ambos decet ira, tamē sedare furorem.

B

Nu

Nunc praestat, quaeuis auctore aduersa leuantes.
Nam qua libertas tanti credatur utrique,
Quanti seruitium tali sub principe, cuius
Iustitiam Hesperius laudat, miratur Eous.
In ciues qui iura tenens, & culmina rerum,
Se ciuem patremq; gerit, sine crimine fastus,
Qui comitatur opes, magnosq; superbus honores.
Quem non excubia tantum, multusq; satelles,
Quantum subiecta tutatur gratia plebis,
Ac sine teste fides, nulloq; extorta timore.
Cui non illecebris effrena licentia luxum,
Suadet: nec tentare iubet sine lege potestas,
Quod fecisse lubet: non fastidire minores,
Non sacrosanctos juris transcendere fines,
Non addicto inopum cumulare araria censu,
Aut sudore frui miserorum, & sanguinis haustu.
Aspice structura molem, quam ferre repugnas
Immerito, fama segetem laudumq; tuarum,
Victuroq; tuas celebrantem nomine ripas:
Nemo operis tanti se impensa, nemo labore
Oppressum queritur, quotquot ditionis habenas
Ascania accipiunt, legesq; & iura sequuntur.
Sunt fisci, quaecunq; vides, impendia: sumtus
Hos princeps, haud parcus opum, facit: utilis urbj,
Commodus agricolis: legum iustissimus vnus
Arbiter,

Arbiter, & pacis custos fidissimus unus.
Ipsa operi pubes cœptoq; intentâ laborj,
Miratur plus posse manus. juuat ecce laborem,
Et maturat opus præsentia principis, atro
Non terrore urgens, sed maiestate serena.
O velox, & præuertens industria votum.
Nondum signa rotis Titan bis dena peregit,
Ex quo creuerunt turres: quas longior illis
Annua meta stupet bis seni limite mensis.
Si qua fides dubijs: non hæc, sine numine diuum,
Machina mortalis surgit molimine dextræ.
Hanc quicumq; Deus, certè Deus erigit: ille
Has syluis aduoluit opes: hæc fluminis alueo
Fundamenta, soli parente crepidine, fixit.
Cede Deo: si ferre negas mortalia regna.
His dictis cessit furor, & commota quierunt
Pectora, cumq; illo pariter pacata residunt
Flumina, rectoris placidos imitantia vultus.
Sed quid ego hæc, numeris non apta, includere fru-
Aggredior numeris? tantis cur conditor actis (stra
Ah impar nimis, augusta præconia laudis,
Mæonio celebranda seni, memoranda Maroni,
Carminis exiguum detrudere conor in orbem?
Verùm nec superùm semper bos imbuit aras:
Quos placant interdum animo cum diuite fertj

Pauperis oblata, & tauro non vilior agna:
Sic mihi cum desint vires, animosa voluntas
Officium implebit. Studium, non carmina iacto.
Velle sat est: ausus ubi deficit agra facultas.
At nostris facito vires conatibus aequas:
Quae meritis par esse tuis facundia possit,
Ascania columen, Princeps clarissime, gentis?
Quis dignè referat veteris primordia stirpis,
Gomerida priscum ducentis ab Ascane nomen,
Ascane, quem sacri custodia praedicat ignis:
Ascane, quo crevit genitore Tuiscona pubes?
Quis memoret titulos, & auita laudis honores,
Sive tuos, Alberte, vrsi cognomine clari:
Vnde Ursina suam laudat gens Itala stirpem:
Seu, Bernharde, tuos, septem pars una virorum,
Imperij procerum, domus a quo Saxonis ortum
Atq; genus iactat, fama super aethera noto?
Quis te, Pannonia cladem, fidissime sanguis,
Caesare teste tuo, Venetaq; opprobria fraudis,
Quis te, Belgarum horrorem, Martisq; procellam,
Magne Rodolphe, tuis versu natalibus aequet?
Quis natos dicat, nec facta silenda nepotum,
Incluta bellorum gestis, & clara togata
Munere militia, partis oleaq; triumphis?
Salve magnorum proles generosa parentum,
Salve

Salve magnorum genitor fecunde nepotum:
Aonij tutela chori, cœtusq; sacratj
Finibus extorris patria, mundiq; perosi
Judicijs, causa ignaris. quo preside, nunquam
Impia Anhaldinas scelerabunt dogmata terras,
Nec Christi vastabit aper Calydonius agrum.
Tu patruu immota seruas pietate Georgij
Nobile depositum verbi, quod voce styloq;
Illustrans docuit, vita grauis auctor & annis.
Quod Patris ipse sinu Natus depromsit ab imo,
De genitore Deo Deus, & caro virgine matre.
Quod vates sonuere, Deo dictante locutj:
Bis seniq; vago sparserunt orbe ministri:
Quod Christum agnoscens pastorem obseruat ouile,
Per varios casus, caraq; impendia vite.
Hoc tu depositum soboli patrieq; tueris,
Vesani contra rabiem & deliria secli.
Nec tibi malueris gemmarum quicquid & auri,
Æquoris & terra grauida celatur in aluo:
Non Arabum gazas: Macedum non regna tyrannj.
Maeste bonorum heros maiorum haud degener ausis,
Maeste tuis: non te iusti rectiq; tenacem
Gratia demulsit vultu insidiosa benigno:
Non pauidum fregere mina: quin pectore magno
Spemq; metumq; domas, casu sublimior omni.

Hoc patrum virtutis habes: sic, Carole, quondam
Te coram, impavido Vuolfgangus pectore Christum
Confessus, fidei nomen dedit Augustana,
Casaream spernens haud tum sine viribus iram.
Scilicet in genitos manat cum semine virtus:
Seminiūq; refert vis iracunda leonum,
Et patrius volpes sequitur dolus, & fuga cervos.
Salve libertas patriæ, fiducia ruris,
Urbis presidium, dubijs tutamen in armis.
Jam nunc fama prior Pharia fastigia turris,
Cumq; his Pyramidum ductas ad sidera pinnas,
Et Mausolei sileat miracula sepulcri.
Per te, ponte suo, nunc Rheno clarius Albis
Nomen habet, didicitq; jugum te ferre magistro:
In leges migrare novas: nova frena subire.
Per te mansuescit feritas inamœna viarum,
Imperijs lenita tuis: nunc ire voluptas,
Quâ prius hirsutis horrebat semita dumis,
Aut cœno hærebant vestigia lenta tenaci.
Nunc Amphionij cedat tibi gloria plectri:
Nunc Geticæ tibi monstra lyra: quam fama secuta est
Auritas fidibus deducere montibus ornos.
Et tu saxa moues, & sylvas ducis ouantes
Ad tua iussa sequi, & stratis seruire viarum.
Nanq; auro congesta tuo quoq; glareæ, multo


Viminis


Viminis iniectu, & saxi solidata platea,
Quadrupedum & duros canthorum sustinet ictus.
Cuius utroque nemus faciens in margine pomus
Consita, fragrantem fessis aspirat odorem:
Dulce viatori simul, aurigaque leuamen:
Qui memori te voce canit, gratusque celebrat,
Infractos sero retulit cum vespere currus:
Regum digne bonis: fuluas tibi diues arenas
Albis agat, virides voluat tibi Milda lapillos.
Sic ait: ac Genio libans, quot pocula sumit,
Tot fausta tibi luce dies, noctesque precatur.
Nestoris o utinam cum votis ebibat annos.
Salve cura Dei, vita qui nuper in arcto
Prestitit incolumem discrimine, reddidit orbij
Faucibus e medijs Orci letique receptum.
Sic te venturos idem conseruet in annos
Cum consorte tori, generosa & stirpis alumnis,
Vix quorum meruere senes primordia laudum:
Sic operis structura tui non horreat imbres,
Non glacie armatas hyemes: non sentiat ignem,
Non Euri insultus, nec edacis damna senecta:
Unam istis etiam fabricis, quas extruit arca
Magnificas tua, non loculis capsisque recondens,
Nec tenebris damnans, clausas tellure sub alta
Diuicias, patrie sed promens semper ad usus:


Unam


Vnam illis, unam oramus, mitissime Princeps,
• Adicias, & qua Musis habitanda dedisti
Atria, respicias vultu, quo cuncta gubernas.
Nam sine te pendent opera interrupta, nec ullum
Ulla minus tangit quam nostri cura Lycei.
Hunc ne te pontem pigeat, qui sustinet vrbes,
Templorumq; suo gestamine fulcit honorem,
Et vitæ pariter structuram seruat, & orbis,
Hunc ne suppositis pigeat firmare columnis,
Ne conuulsa ruant minitanti tecta ruinam,
Aut carie corrosa labent, rimisq; fatiscant.
Hoc tibi ponte viam sternes ad amœna piorum
Concilia, in sancto venerandum ubi sancta senatu
Plebs Ebræa, humeris extantem suspicit altis,
Olim fundantem collegia centurionem.
• Ac te pontificem præsens venerabitur ætas,
Et ventura feret memori super æthera laude,
Nec mea te, quamuis despecta, camœna silebit
Arcentem Musis Libitinam, atq; vrbe domoq;
Afflictas, inopes, profugas, miserasq; iuuantem.

FINIS.































Ad 4206
80


ULB Halle 3
004 167 287


f
Sb
+90
Stk. 18 u. 25 nicht in PICA,
da Hschr.

2014
24 VD 17
E.O.-Bey
Jul. 01
M







~~IT XV~~
PONS SVBLICIVS
ANHALDINVS.

IN PONTEM SV-
BLICIVM ALBI ET
MILDÆ AGGERE JVN-
ctis, ac confluentibus, nouo & admira-
bili opere prope Roslauium arcem
antiquiss. impositum,

✻ curante ✻

ILLVSTRISS. ET
GENEROSISS. PR. AC
DN. DN. IOACHIMO ERNESTO
Pr. Anhaltino, Comite Ascaniæ, Do-
mino Seruestæ & Bern-
burgi &c,

CARMEN *εὐκωμιστικόν.*
Scriptum à
GREGORIO BERSMANO ANNÆ-
bergensi, illustr. gymnasiij Seruestani
Rectore.

SERVESTÆ
Bonaventura Faber excudebat,
Anno
M. D. LXXVIII.

948

